



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 37. Initia Joannis Hussii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](#)

Sæcul. XV.  
A. C. 1401.

§. XXXVII.

*Initia Joannis Husii.*

*Trith. Chr.*  
*Hirſt. an.*  
*1402. hif.*  
*Colch. Hus.*  
*Æn. Silv.*  
*hif. Bo.*

*Co. I. op.*  
*Hus. init.*

*Æn. Silv.*  
*p. 103.*

Tum illi usque in Bohemiam pervenerunt. Novam Pragæ Universitatem ab Imperatore Carolo IV conditam plane gubernabant Doctores Germani magna offensione Bohemorum natura ferocium, parumque tractabilium: qui Regem Wenceslaum orabant, ut exclusis exteris præfecturam scholarum indigenis daret. Ille Germanis, quod ipsum gradu movissent, infensus facile Bohemos voti damnavit. E maximis Germanorum inimicis unus

erat Joannes Hus juvenis infimo natus loco, sed ingenio, & facundia insignis, in Universitate Pragenſi anno 1396 Magister Artium, an. 1400 Sacerdos, & Orator in templo, cui nomen Bethlehem, annoque proximo Decanus factus. Indignati Germani bis mille numero tum Doctores, tum discipuli paulo post reicta Praga pterunt Lipsiam Misniæ urbem: ubi ex authoritate Summi Pontificis Universitatem novam instituerunt.

Quidam Bohemus nobilis e familia, cui Piscis Putridus cognomen fecit, Oxoniæ in Anglia litteras discens incidit in Wicleffi libros inscriptos *Universalia Realia*. Mire his delectabatur; & horum exemplaria abstulit, quæ continebant dispa

disputationes de Jure Civili, Divinoque, Sæcul. XV.  
ac de Ecclesiæ, & varias quæstiones con- A. C. 1401.  
tra Clerum. Suam in patriam hos libros  
omnes detulit ut thesaurum pretiosum;  
fiebatque studiosus sectator Wicleffi: cu-  
jus opera commodabat Germanorum ini-  
micis, ac speciatim Joanni Hussio. Pra-  
gæ civis opulentus ibi templum constru-  
xerat (Bethlehemum vocabat) ac reditu  
dotaverat sufficiente ad alendos Concio-  
natores duos, qui quotidie sermone Bo-  
hemico (est dialectus quædam linguae  
Sclavonicæ) populum docerent: id au-  
tem munus Joanni Hussio est impositum  
an. 1400.

Ut erat eloquens, ac probis esse mo-  
ribus dicebatur, in aures suaviter influe-  
bat: idque sentiens proferre multas e Wi-  
cleffi libris sententias cœpit; quas esse  
verissimas, & illum suis virum sanctum  
dicebat, addens: Velle post mortem  
meam venire illuc, ubi agit ejus anima.  
Sequebantur Hussium poene omnes Cle-  
rici ære alieno pressi, aut criminum, ac  
seditionum nomine notati: sperabant  
enim fore, ut meritas effugerent poenas,  
siquid novi accideret. Adjungebant se  
illis etiam quidam docti, quod in distribu-  
tione beneficiorum pinguium sibi præponi  
Nobiles indignos cernerent. Tandem  
Hussius, ac discipuli ejus Valdensium er-  
roribus ducebantur.

N n 2      §. XXXVIII.